Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Vitae Christi pars secunda - Cod. Aug. perg. 23

[Reichenau ?], [15. Jh.]

Capitulum LXXXVIIII: conclusio libr et signacio

urn:nbn:de:bsz:31-41582

Visual Library

Quanie diuersitatem uite quam isti pro se-
dis bonis summo amore complectentur illi per
inestimabili pena qua torquebuntur quam
merit illis summo odio execrabuntur. De sa-
pientia uero quid dicam non inuenio nisi
quia sicut iustis erit in gaudium et honore
ita iniustis quod sciunt in merore et confusi-
onem. Amicicia autem qua inuicem pro summa
iocunditate copulabuntur si qua impiis e-
rit in tormentum eis erit. Quo enim magis
quosque amabunt eo grauius in eorum pena
dolebunt. Discordiam habebunt cum omni
creatura et omnis creatura discordabit ab
illis. Hinc quod pro potestate bonorum tanta
impotentia eos sequetur ut omnino nihil eorum
que uoluerint possint et quod quod habuerint
nolint. Igitur pro honore sanctorum obtine-
bunt perhenne obprobrium. Et hec quo sic
claudentur hec sicut amici dei sciunt erunt
se numquam amissuros bona sua ita isti inimici
dei omnino desperabunt se iam amplius perditu-
ros hec mala sua. Pro eterno quod et ineffabili
gaudio beatorum hereditabunt incogitabilem tris-
ticiam omnes qui pro impenitudine reatus sui
transituri sunt in societatem demoniorum
hec Augustinus. Sunt etiam in inferno sicut et
celo diuerse mansiones meritis singulorum
correspondentes. Unde Crisostomus. Sicut in regno
celesti multe mansiones sunt id est differentie
premiorum sic et in gehenna diuerse sunt ma-
siones id est differentie suppliciorum omnes tamen penam
eternam sustinebunt sicut omnes electi denarium
eundem habebunt quem paterfamilias dabit omnibus
qui scilicet in uinea operati sunt id est vide quippe
denarii aliquis omnibus electis commune intelligitur
scilicet uita eterna deus ipse quo omnes quidem conter-
si impiter fruentur. Iam sicut differens erit cla-
rificatio corporum ita differens erit gloria ani-
marum. Stella enim a stella id est electus ab electo
differet in utraque uidelicet mentis et corporis
claritate. Alii minorem alii uberiorem claritatem
quam speciem dei contemplabuntur et ipsa co-

templandi differentia mansionum diuersitas
notatur. Una igitur est domus id est denarius
sed diuersitas est ibi mansionum id est differentiarum
claritatis in beatitudine que unum est ac
summi boni et uita omnium hec Crisostomus. Unde et
Augustinus. Quod autem ibi futuri sint pro meritis
premiorum etiam gradus honorum atque gloriarum mil-
latenus est ambigendum. Atque id et beata illa
ciuitas magnum in se bonum uidebit quod nulli
superiori nullus inferior uidebitur tam nollet
unusquisque esse quod non accepit quod nec in
corpore uult esse oculus qui est digitus.
Sic itaque habebit donum alius alio minus
ut hoc quod donum habeat nec uelit amplius
hec Augustinus. Possumus et diuersas mansiones
omnium electorum sumere secundum choros angelorum ad
quorum ruinam restaurandam homo est cre-
atus. Una enim de singulis choris aliqui
angeli ceciderunt et in tanto numero quod unum
per se fecissent ideo dicitur decimus chorus ceci-
disse et ideo ruina cuiuslibet chori debet per elec-
tos homines reparari. Oratio

Domine ihesu christe michi fragili con-
cede ut inter diuersas huius uite dul-
cedines corpore uiuens mente in infernum
descendam et penas peccatoribus paratas
considerans et meditans magis sollicite a
peccatis caueam ne moriens illuc descendere
et penas ipsas experiri compellar. Da etiam
michi domine inter multas huius uite amari-
tudines diuine dulcedinis inhiare et ad eter-
nam beatitudinem suspirare illuc quoque mentem
tenere et fac ut semper tibi adhereat nichil
preter te diligam nichil queram nichil etiam
cogitare concupiscam et tandem ad te deum
et dominum meum perueniam.

Conclusio libri et signacio

Habes igitur ex predictis uitam domini
mei ihesu christi qualitercumque descrip-
tam et pro magna parte me-
ditacionibus tibi traditam in qua
et per quam nos miseros mun-

sive consolando refovet et spem nobis pecca-
toribus magnam prebet. Nam pro pecca-
toribus est incarnatus et cum peccatoribus
libenter conversatus. pro ipsis eciam in morte
preces fundere et tandem pro talibus mori
non est dedignatus. Habes quippe medita-
cioni spiritualium seminarium ex quibus divi-
ni amoris fructus uberior oriatur et cres-
cat ut meditacio affectum excitet affectus de-
siderium pariat desiderium lacrimas extorqueat
ut sint tibi lacrime tue panes die ac noc-
te donec appareas in conspectu domini ihesu
et suscipiaris ab amplexibus eius dicens quod
illud quod scriptum est in Canticis Dilectus
meus michi et ego illi inter ubera mea. i. inter
affectiones meas commorabitur Unde bernardus. Sic dul-
cis et suavis affectui dominus ihesus continue male
utique dulces vite carnalis illecebras et vincat
dulcedinem dulcedo quemadmodum clavum clavus
expellit hec bernardus. Huiusmodi itaque tenens et
gaudens predicta et in eis versari non pigri-
teris sollicitudine et devocione tota quia hec est
via et vita tua. Hoc est fundamentum super quod
potes magnum edificium construere et ab hoc te
oportet incipere si ad sublimiora vis ascen-
dere Nam hec vite christi meditacio non solum
per se dulcius pascit sed eciam ad maiorem altitudinem
transmittit. Hec enim sunt que dominus ihesus ges-
sit in carne sed longe sublimius est cum in spiritu in-
tueri ad quod per hanc scalam potes proficere
te si inhiat interim oportet immorari. Nec tamen
qui ad maiorem contemplacionem ascendunt hanc
dimittere debent pro loco et tempore quia hoc es-
set magne presumpcionis et superbie Unde bernardus
qui contemplator altissimus fuit hanc numquam di-
misit prout supra in prologo videre quis poterit
Hec quippe dulcius sapit ac fiduciam et conso-
lacionem magis tribuit Unde augustinus. Ihesu bone quam dul-
cis es in corde cogitantis de te et diligentis te
et certe nescio quia nec plene comprehendere valeo
unde est hoc quod dulcior es in corde diligentis te

in eo quod caro es quam in eo quod verbum. dulcior in eo
quod humilis quam in eo quod sublimis Siquidem longe
dulcius est memorie diligentis te videre te
ex matre virgine in tempore natum quam in splen-
doribus ante luciferum a patre genitum Te-
metipsum exinanisse servi quam formam accepis-
se quam in forma dei equalem deo esse Dulcius
te videre coram iudeis mori in ligno quam domi-
nari super angelos in celo. Intueri te inter omnia
subiectum quam super omnia prelatum hominem huma-
na pertulisse quam deum divina gessisse redempto-
rem esse pereuncium quam conditorem esse non ex-
istencium. O quam dulce est bone ihesu in secreto cor-
dis ad memoriam revocare te pro nobis de vir-
gine absque pollucione conceptum absque lesione
virginitatis eius natum pannis involutum in pre-
sepio reclinatum. sustinentem cuncta tacentem
ad obprobria. pedes discipulorum lavantem. lin-
theo tergentem. de nocte prolixius orantem.
sudorem sanguinis emittentem. triginta arge-
teis venditum. osculo traditum. cum gladiis et
fustibus captum ligatum iudicatum flagel-
latum dampnatum. ad occisionem ut agnus in-
nocens ductum os tuum cum male tractareris
non aperientem cum accusareris in multis
non respondentem. colaphizatum. alapas pa-
cientem. derisum. adoratum. arundine capi-
te percussum in veste alba illusum ad mor-
tem condempnatum. crucem tuam baiulantem
et in ea affixum. pro crucifixoribus orantem.
aceto potatum. felle cibatum. a latrone con-
viciatum. sanguinem tuum per quinque vulnera
corporis tui effundentem. caput inclinantem
spiritum emittentem. dilectam animam tuam in
manus patris commendantem. et hec omnia
pro nobis sustinentem. Hec omnia formant
et adaugent magis ac magis consolacionem
fiduciam et consolacionem amorem et desiderium
Quis enim non letetur et exultet quis non
super modum iocundetur et gratuletur vi-
dens conditorem suum non solum pro se ho-

inivem esse si tam circa tamque indigna su-
stinuisse. Quid in mente suavius ruminatur
quam dulcius gustatur quid letius excogitatur.
Quis michi aufferet locum in regno ubi
iesus est qui caro mea et frater est. Quis
michi eventus aliquando ingeret desolacionem cui spes
tanta tantam confert certitudinem. Quomodo
aliqua tristicia aliquem locum habere potest
in eo in quo indesinenter versatur ista cogitacio
hec Ans. Libenter itaque conversis cum domino
ihesu et vitam ipsius tamquam ewangelium in cor-
de studeas inseparabiliter collocare quia in eo
solo pax et requies est. Ihesus enim est iocun-
ditas mentium eternitas viventium suavitas
dolentium libertas egentium sanitas lang-
uentium quod significant quinque littere huius
nominis ihesu. Unde bernhardus: Circa et extra
versa et reversa et non invenies pacem vel
requiem nisi in solo ihesu. Nunc propter si queste
vis pone ihesum ut signaculum super cor tuum
quia tranquillus ipse tranquillet omnia hec
Ber. Ama ergo eum qui te tam amavit redde
et vicem qui te in benedictionibus dulcedinis pre-
venit quia si hoc feceris semper in gaudio et
deliciis magnis eris. Unde Ans. Ihesu qui non
amat te anathema sit. Qui te non amat
amaritudinibus repleatur. Castus est amor tuus
domine et nichil impuritatis admittit. Sob-
rius sapor amoris tui et nullam mentem
alienat a recto. Suavis est amor tuus et ni-
chil habet amari. Nam et que amara sunt mun-
di indulcat et dulcia eius reddit amara.
Inter angustias non artatur inter pressuras
non opprimitur non perit sub inopia non me-
rore contrahitur. In laboribus manet equa-
nimis inter minas securus inter blandimen-
ta incorruptus inter tormenta perseverat in-
victus in morte semper est vivus. Sicut in
thesauro cupidus gaudet et sicut in odore
vini siti delectatur ita gaudium et de-
lectatio est grata in caritate tua dulcis

ihesu amore amanti te. Dulcedo mellis sua-
vitas lactis vini sapor inebrians cuncte que
delicie non sic oblectant fauces gustantium
sicut amor tuus mentes diligentium te. Hec
anshelmus. Sicut magis ad hec omnia pro-
moveris et hic liber in nomine ipsius domini
ihesu qui est liber signatus concludatur et signetur.
Ostende quod de hoc salutari nomine ihesu ber-
nhardus super hoc verbo oleum effusum no-
men tuum scribit dicens: Est procul dubio in-
ter oleum et nomen sponsi similitudo nec
ociose spiritus sanctus alterutrum comparavit. Ego
autem dico in triplici quadam qualitate olei quod
lucet pascit et ungit. Si vos melius non ha-
betis fovet ignem nutrit carnem lenit do-
lorem lux cibus medicina. Vide idem nunc et
de sponsi nomine: lucet predicatum pascit
recogitatum invocatum lenit et ungit. Et per-
curramus singula. Unde putatis in toto orbe
tanta et tam subita lux fidei nisi de predicato
ihesu. Nomine in huius nominis luce deus
nos vocavit in admirabile lumen suum quibus
illuminatis et in lumine isto videntibus
lumen dicat merito paulus: Fuistis aliquando te-
nebre nunc autem lux in domino. Nec tam lux
est nomen ihesu sed et cibus. An non totiens con-
fortaris quotiens recordaris. Quid eque
mentem cogitantis impinguat. Quid ita ex-
ercitatos reparat sensus virtutes roborat vege-
tat mores bonos atque honestos castas fo-
vet affectiones. Aridus est omnis anime cibus
si non isto oleo infunditur insipidus est si non
isto sale conditur. Si scribas non sapit mi-
chi nisi legero ibi ihesum. Si disputes aut conferas
non sapit michi nisi sonuerit ibi ihesus. Ihesus
mel in ore in aure melos in corde iubilus.
Sed est et medicina. Tristatur aliquis veni-
at in cor ihesus et inde saliat in os
et ecce ad exortum nominis lumen nubilum
omne diffugit redit serenum. Labitur quis in
crimen currit insuper ad laqueum mortis

deſperando · nõne ſi inuocet nomẽ uite · cõ-
feſtim reſpirabit ad uitam · Cui aliquando
ſtetit ante faciẽ ſalutaris nõis · duritia ut
aſſolet cordis · ignauie torpor · rancor a-
nimi · languor acidie · Cui fons forte ſic-
catus lacrimarum · inuocato ihũ nõ citius
erupit uberior fluxit ſuauior · Cui i͂ peri-
culis palpitanti et trepidanti inuocatũ
uirtutis uotum non ſtatim fiduciam pre-
ſtitit depulit metum · Cui queſo in dubi-
is eſtuanti et fluctuanti non ſubito ad inuo-
cationẽ clari nominis emicuit certitudo · Cui
in aduerſis diffidenti iã iamq; deficienti
ſi nomen adiutorii ſonuit defuit fortitudo
Omnium morbi et languores anime iſti
ſunt illud medicina · Denique et probare licet
Inuoca me inquit in die tribulationis eruam te
et honorificabis me · Nichil ita ire impetũ
cohibet · ſuperbie tumorem ſedat ſanat liuo-
ris uulnus · reſtringit luxurie fluxum · extin-
guit libidinis flammã · ſitim temperat auaritie ·
ac totius indecoris fugat pruriginem · Si qui-
dem cum nomino ihm hominem michi propo-
nitem et ſimilem corde · benignum ſobrium
caſtum miſericordem et omni denique honeſ-
tate ac ſanctitate conſpicuum eundem que ip-
ſum omnipotentẽ qui ſuo me exemplo
ſanet et roboret adiutorio · Hec omnia ſi-
mul michi ſonant cum inſonuerit ihesus · Sumo
itaque michi exempla de homine et auxiliũ
a potente · Illa tamquam pigmentarias ſpecies
hoc tamquam unde acuam eas et facio confectio-
nem ſimilem medicorum · nemo facere poſſit · Ho-
tibi electuariũ habes o anima mea reconditum
in uaſculo uocabuli huius quod eſt ihesus
ſalutiferum certe quodque nulli unquam peſti-
ue inueniatur inefficax · Semper tibi in ſinu
ſit ſemper in manu quo tui omnes in ihesum
et ſenſus dirigantur et actus · Denique et i͂-
uitaris · Pone me inquit ut ſignaculum in
corde tuo ſignaculum in brachio tuo · Sed

hoc alias · Sunt uero habes unde brachio
medearis et cordi · Habes inquit in nomine
ihũ unde actus tuos uel prauos corrigas uel
minus perfectos adimpleas · Item unde tuos ſen-
ſus aut ſerues ne corrumpantur aut ſi corrũ-
pantur ſanes · hec bernardus · De hoc etiã
dulci nomine ihu idem bernardus alibi quaſi iubilan-
do ſic dicit · Ihũ dulcis memoria · dans uera
cordis gaudia · ſi ſuper mel et omnia eius dul-
cis preſentia Nil canitur ſuauius · auditur nil
iocundius · nil cogitatur dulcius quam ihesus
dei filius · Iheſu ſpes penitentibus quam pius
es petentibus quam bonus te querentibus ſed quid
inuenientibus · Iheſu dulcedo cordium · fons
uiuus lumen mentium excedis omne gaudiu-
et omne deſiderium · Nec lingua ualet dicere
nec littera exprimere expertus poteſt noſcere quid ſit ihm
diligere · Ihm queram in lectulo · clauſo cor-
dis cubiculo · priuatim et in publico · queram
amore ſedulo · Cum maria diluculo · ihm que-
ram in tumulo · clamore cordis querulo · men-
te queram non oculo · Tumbam perfundam
fletibus · locum replens gemitibus · ihũ pro-
uoluar pedibus ſtrictis herens amplexibus
Ihũ rex admirabilis · et triumphator nobilis ·
dulcedo ineffabilis · totus deſiderabilis · Ma-
ne nobiſcum domine · et nos illuſtra lumine ·
pulſa mentis caligine · mundum reple dulce-
dine · Quando cor noſtrum uiſitas · tunc lucet ei ue-
ritas · mundi uileſcit uanitas · et intus feruet
caritas · Amor ihũ dulciſſimus · et uere ſuauiſ-
ſimus plus milies gratiſſimus quam dicere ſufficimus
Hoc probat eius paſſio hoc ſanguinis effu-
ſio per quam nobis redemptio datur et dei ui-
ſio · Ihm omnes agnoſcite · amorem eius poſcite ·
ihm ardenter querite · querendo inardeſcite · Di-
ligentem diligite · amoris uicem reddite · in
hunc odorem currite et uota uotis reddite
Ihũ auctor clementie · totius ſpes leticie · dul-
coris fons et gratie · uere cordis delicie · Ihũ mi
bone ſentiam · tui dulcoris copiam · da michi p

Pars ii

pereat tuam videre gloriam Cum digne lo=
qui nequeam de te tamen non sileam amor fa=
cit ut audeam cum solum de te gaudeam Tua
ihesu dilectio grata mentis refectio replet sine
fastidio dans famem desiderio Qui te gustant
esuriunt qui bibunt adhuc siciunt desiderare
nesciunt nisi ihesum quem diligunt Quem tuus
amor ebriat novit quid ihesus sapiat quam felix
est quem satiat non est ultra quod cupiat
Ihesu decus angelicum in aure dulce canticum
in ore mel mirificum in corde nectar celicum
Desiderate milies ihesu mi quando venies me
letum quando facies me de te quando saties Amor tuus
continuus michi languor assiduus michi
ihesus mellifluus fructus vite perpetuus
Ihesu summa benignitas mira cordis iocun=
ditas incomprehensa bonitas tua me strin=
git caritas Bonum michi diligere ihesum nil
ultra querere michi prorsus deficere ut il=
li queam vivere O ihesu mi dulcissime spes
suspirantis anime te querunt pie lacrime
et clamor mentis intime Quocumque loco
fuero meum ihesum desidero quam letus cum in=
venero quam felix cum tenuero Tunc amplexus
fiunt tunc oscula que vincunt mellis pocula
tunc felix Christi copula sed in hiis brevis mo=
rula Iam quod quesivi video quod cupivi
teneo amore ihesu langueo et corde to=
tus ardeo Ihesus cum sic diligitur hic amor
non extinguitur non tepescit nec moritur
plus crescit et accenditur Hic amor ardet
dulciter dulcescit mirabiliter sapit delecta=
biliter delectat et feliciter Hic amor missus
celitus heret michi medullitus mentem
incendit penitus hoc delectatur spiritus O bea=
tum incendium o ardens desiderium o dulce
refrigerium amare dei filium Ihesu flos matris
virginis amor nostre dulcedinis tibi laus
honor numinis regnum beatitudinis Ihesu
sole serenior et balsamo suavior omni dulco=
re dulcior pre cunctis amabilior Cuius

gustus sic afficit cuius odor sic reficit in
quem mens mea deficit solus amanti suf=
ficit Tu mentis delectacio amoris consuma=
cio tu mea gloriacio ihesu mundi salvacio
Nequaquam quocumque ieris michi tolli non po=
teris cum meum cor abstuleris ihesu laus no=
minis Dilecte mi revertere consors paterne dextere
hostem vicisti prospere iam celi regno fruere
Celi cives accurrite portas vestras attolli=
te triumphatori dicite salve ihesu rex inclite
Rex virtutum rex glorie rex insignis victo=
rie ihesu largitor gratie honor celestis cu=
rie Tu vere lumen patrie tu fons misericordie
pelle nubem tristicie nobis dans lucem
glorie Te celi chorus predicat et tuas lau=
des replicat ihesus orbem letificat et nos deo
pacificat Ihesus in pace imperat que omnem
sensum superat hunc mens mea desiderat
et illo frui properat Ihesus ad patrem redit
celeste regnum subiit cor meum a me transi=
vit post ihesum simul abiit Iam sequamur laudibus
ihesum hymnis et precibus ut nos donet ce=
lestibus cum ipso frui sedibus Amen Oratio

Domine ihesu Christe fili dei vivi pro
hiis et omnibus que de te pie cre=
dimus et credere debemus tibi gratias licet
indignas referimus et per ea te suppliciter
exoramus ut recipias ex parte omnium celestium
terrestrium et infernorum deo patri offeras dig=
nam laudem omnium in quibus summam bonitatem
laudabilem recognoscas et in plenam gratiarum
actionem pro quolibet beneficio a singulis debi=
tam creaturis atque in veram emendationem omnium
malorum ab origine mundi commissorum et in
sufficientie persolutionem omnium bonorum unquam obmis=
sorum in supplementum quoque meriti omnium beatificatorum
et gratie omnium iustificatorum ac emendationis
omnium peccatorum refrigerium quoque omnium purgandorum
necnon in relevationem omnis indigentie corporis
et anime singulorum Amen

Expliat hoc opus collectum ex diuerſis
et pluribus. De quo ſi quiſque quod ſuum
eſt tolleret parum uel nichil colligenti re-
neret. Domine ihu xpe fili dei viui digne-
ris graciis miſereri premiſſa colligenti et
cuilibet eis bene utenti et ſcriptori ſcribenti

Incipiunt Rubrice capitulorum premiſſe
iſtius uoluminis partis ſecunde de uita xpi

De confeſſione vere fidei quam fecit petrus pro
omnibus primum capitulum
De exhortacione ad ſequendum xpm et ſue paſ-
ſionis exemplum ſecundum capitulum
De tranſfiguratione domini ihu tercium capitulum
De ſanatione lunatici quartum capitulum
De tributo pro domino et petro ſoluto et de queſtione
diſcipulorum ſuper maioritatem capitulum quintum
De puſillis et paruulis non ſcandalizandis
uel contempnendis interius capitulum ſextum
De tribus parabolis ſcilicet ouis dragme et fi-
lii prodigi capitulum ſeptimum
De modo correpcionis fraterne et de dimittendo
fratri ſeptuagies octauum capitulum
De rege qui voluit racionem ponere cum ſeruis
ſuis nonum capitulum
De cauſa dimittendi uxorem et de paruulis
domino oblatis .x.m capitulum
De perfectione paupertatis .xi. capitulum
De .xii. conſiliis ewangelicis .xii. capitulum
De difficultate et impoſſibilitate intrandi
regnum celorum et de premio relinquencium omnia
et ſequencium xpm .xiii. capitulum
De denario diurno .xiiii. capitulum
De villico iniquitatis .xv. capitulum
De diuite epulone et lazaro mendico .xvi. capitulum
De reſuſcitatione lazari .xvii. capitulum
De conſpiratione pontificum et phariſeorum .xviii. capitulum
De decem leproſis a domino curatis .xix. capitulum
De ſamaritanis domino negantibus hoſpicium .xx. capitulum
De peticione filiorum ſcilicet zebedei .xxi. capitulum
De uno ceco circa ingreſſum iericho illuminato
.xxii. capitulum
De zacheo et eius conuiuio .xxiii. capitulum
De duobus cecis poſt egreſſum iericho illuminatis
.xxiiii. capitulum
De effuſione unguenti ſuper caput ihu .xxv. capitulum
De ſeſſione domini ſuper pullum et aſinam .xxvi. capitulum
De glorioſa domini ſuſcepcione .xxvii. capitulum
De fletu domini ſuper ierusalem et ingreſſu in eam .xxviii. capitulum
De ſecunda eiectione uendencium et ementium
de templo .xxix. capitulum
De duobus minutis vidue ac de phariſei
et publicani .xxx. capitulum
De maledictione ficulnee et de grano frumenti
et principe mundi .xxxi. capitulum
De duobus filiis quorum unus in vineam iuit
et alius ire neglexit .xxxii. capitulum
De locatione vinee et ſanguinariis vinitoribus
.xxxiii. capitulum
De inuitatis ad nupcias et de non habente veſtem
.xxxiiii. capitulum
De queſtione ſuper tributo et de muliere .vii. viros ha-
bente .xxxv. capitulum
De primo et magno ac ſecundo et ſimili legis mandato
.xxxvi. capitulum
De ſcribis et phariſeis in doctrina audiendis
ſed non in uita imitandis .xxxvii. capitulum
De quibus debeat xpc recinere .xxxviii. capitulum
De ſignis aduentus domini et conſumacionis ſeculi .xxxix.
De aduentu et predicatione antixpi .xl. capitulum
De orando et ad expectandum aduentum domini et
de poſterioribus ſignis aduentus eius et conſu-
macionis ſeculi .xli. capitulum
De aduentu xpi iudicis capitulum .xlii.
De electorum conſolacione appropinquante redempcione
et ſimilitudine ficulnee .xliii. capitulum